





Biblioteca  Valenciana



31000005087484
















MICH. IO. BODINI.  
P A N E G Y R I C V S.  
B E A T O . T H O M A E .  
A R C H I E P . V A L E N T .  
S C R I P T V S .

E T .

<sup>MO</sup> I L . <sup>MO</sup> E T R . D . D . G A S P . B O R G I A E .  
E T . V E L A S C O . S . R . E . C A R D .  
I N S C R I P T V S .

In quo  
Beati Viri Vita, festaꝗue Valentinorum laetitia, ob illius  
Apotheosim, currenti calamo  
descripta,



V A L E N T I A E .  
T y p i s P e t r i P a t r i c i j M e y , a d T e m p l u m D . M a r t i n i !  
A n . C h r . c i c . i o c . x i x .

MICH. NO. 10001

FAM. E. GYR. V. S.

DE ATTO THOMAE

ARCHIEP. VALENT.

SC. R. I. T. V. S.

E. T.

M. E. T. R. O. D. D. G. A. S. P. B. O. R. G. I. A. E.

E. T. V. E. L. A. S. C. O. S. T. R. E. G. A. R. D.

I. N. S. C. R. I. P. T. V. S.

I. N. Q. U. O.

B. N. V. M. V. I. S. I. S. T. O. R. I. A. S. V. A. L. E. N. T. I. N. A. S. T. R. U. M. F. A. C. I. T. A. S. O. P. I. L. L. I. S.

A. P. O. S. T. O. L. I. C. A. S. C. U. R. I. A. S. V. A. L. E. N. T. I. N. A. S.

Q. U. I. S. I. P. S. I. S.



V. A. L. E. N. T. I. A. E.

T. I. S. T. A. B. U. L. I. S. I. N. T. E. R. I. O. R. U. M. S. I. S. T. R. U. M. F. A. C. I. T. A. S.

A. N. O. S. T. R. O. S. I. S. T. A. B. U. L. I. S.

**N**OS Petrus Antonius Serra presbyter V.  
I. D. Canonicus sanctae Ecclesiae Metro-  
politanae Caesaraugustanae, ac pro Illu-  
strissimo, & Reuerendissimo D. D. Fr. Isidoro Alia-  
ga, Dei & sanctae Sedis Apostolicae gratia Archie-  
piscopo Valentino, Regioque Consiliario, &c. in  
spiritualibus & temporalibus Officialis & Vica-  
rius generalis in dicta ciuitate, atque dioecesi: quia  
ex relatione Doctoris Ioannis Pasqual, cui hoc opus-  
culum inspiciendum commisimus, nobis constitit ni-  
hil in eo esse quod absonum sit, imo iucundum, & me-  
morabile iudicauit; idcirco tenore praesentium illud  
praelo mandandi in praesenti ciuitate atque dioecesi  
licentiã & facultatem impartimur. Dat. in Palatio  
Archiepiscopali Valentino die xij. Iulij 1619.

Doctor Serra Vic. gñlis.

De mandato dicti dñi Vic. gñlis

Doctor Vincentius Perez Secret.

A 2

LEC

# LECTOR,

**P**RO rei dignitate pauca dicentur.  
pro suscepti operis modo, nimis multa. Veritatis in primis cura est habita, cū tanti Viri vita fūco non egeat. Nihil ex malignitate omiffum, nihil temerè affectum. Suis singula momentis examinavimus, excussis publicis Instrumentorum tabulis Pontificia auctoritate in Hispania confectis, ad nos missis à Magistro Margalesio Augustiniano Valentino, præstanti humanitate, doctrinaque viro.

DEO

DEO. SACR.  
 B. THOMAE. ELEEMOSINAR.  
 ARCHIEP. VALENTINO.  
 ORD. AVGVSTINIANI.  
 PRAESVLVM. SYDERI.  
 VIRO. MAG. EXIGVVM. M. PONO.  
 IN. COMMVNI.  
 OB. IPSIVS. APOTHEOSIM.  
 LAETITIA.  
 ET  
 D. GASP. BORGIAE. ET. VELASCO.  
 S. R. E. C.  
 AEMVLATORI.  
 L. M.  
 VENERABVNDVS. INSCRIBO.



N D E meliùs ordiar; Cardin.  
 Amplifs. quàm à Nyfleni Gre-  
 gorii vero dicto, Deum, iam in-  
 de ab eluuione Noachi, singu-  
 lares viros, singulis aetatibus  
 caeteror. pior. hominum duces,  
 & antesignanos extulisse! Vidit,  
 & admirata est Hispania superiori seculo THO-  
 MAM, BONI PASTORIS effigiem, ex ve-  
 ro exprimentem, animi pietate, in pauperes miseri-  
 cordiâ, priscis Christiani ordinis Patrib. comparan-  
 dum. Adesto de caelo alma lux. meis conatibus fa-  
 ue. tu D I V E manum porrige, vt virtutum tuar.

A 3 adum-

## Panegyricus

adumbratam imaginem, veluti ex vberis messe, pauculas spicas, in aetatem posthumanam, orbi proponā. Fuen-llana in Carpetanis, minutum campi Laminitani oppidum, ad Villanouam-Infantum (nec magni, nec nullius nominis municipium, nunc celebri fama) THOMAM produxit, claris maioribus ortum, Villanouae cognomen adeptum, quò parentes domicilium transtulerunt. Hi, Alphonsus Thomas Garfias, & Lucia Castellanos, insigni vitae probitate, opes, non ad priuata commoda, voluptatumque instrumentum, sed ad multorum praesidium, populi-que salutem destinantes, tanto filio nobilitati sunt. ea merces bonorum operum fuit. Erant illis ingentes copiae, latifundia multa, pecorum magna vis, vnde egeni, grandi numero alebantur, praesertim in annonae caritate, & angustia; certum tenuitati perfugium: vt mirum non sit, iis parentibus sobolem sanctam fuisse; in plena virtutum domo educatum, in talem, ac tantum virum euasisse THOMAM. Mira, ac pene incredibilia de Lucia praedicantur, nisi iurati testes accessissent, profusam in pauperes liberalitatem diuina numina miraculis adstruxisse. Tota in miseror. aerumnis subleuandis, cibandis egentibus, veste, pecuniâ iuuandis; vsque eò, vt diuinitus dapes succrescerent. Arca vacua, denuo caelitus farina repletur, ne fame perirent viduae. numinis argumentum praeclarum. His exemplis THOMAS incitatus, quosdam à puero, maioresque quàm pro aetate, pietatis igniculos praefeculit, tacitum futurae sanctitatis omen. Sed inter eximias virtutes, quasi è sublimi quadam speculâ se ostentabat benignitas, & innata erga egentes animi propensio, vt videatur illum ad hanc vnam natura

An. Ch. CIO. CD.  
XXCIIIX.

Aui paterni, Thomas Garfias, & Eluira Sanchez: materni, Garfias Castellanos & Eluira Rodriguez. Ex quorum familia florent hodie Ordd. Militariū Equites, Iacobae, Alcantarae, Calatranae, ac S. Ioh. Hieros.

tura genuisse, probitas, ac eruditio extulisse, fortuna seruasse. Vestē puerulus exuebat, qua tegeret nudum, obsonio pascebat egentem. Haec femina in maturitatem perducta, fructus vberrimos protulerunt. Compluti, cum per aetatem licuit, ingenium in litteris vigilanter exercuit, Philosophiam imbibit, docuitque, auditore inter alios Domin. Soto, magni deinceps nominis in Hispania Theologo. In Ildefonsi Collegiū, quod eximium est, & maximū illius Scholae, vltro fuit ob probatos mores, & eximiam eruditionem cooptatus. Sed diuini amoris flammā succensus, post sacrar. litterar. exactam intelligentiam, vitae genus eligere certus, remotum ab ambitu, & curis, in Augustini ordinem confugit, vt viueret, ac moreretur inglorius. Sed clarus esse THOMAS coepit, etiam cū latere se censuit. Silentio, modestiā, totoque corporis habitu, fociis ad imitandum exemplum erat. risus, iocusque procul. nē lasciuum, petulanſue aliquid extaret, diligenter cauit. ad supremum pietatis apicem totis praecordiis anhelabat. Pintiae, Burgis, alibi que sodalibus prudenter praefuit. Postea, conspirantibus omnium suffragiis, in Bethicae, atque Castellae Proinciis, ad sui Ordinis gubernacula cum laude sedit. Post iacta magnar. virtutum semina, quibus iā clarissimum Hispaniae sydus praelucebat, ad populum verba facere iussus, ita omniū animos ad se trahere, vt latissimae Basilicae turbas non caperent. eius dicendi genus efficax, & robustum, ceu vibratum telum, intima audientium praecordia depascebatur. aures altiore fulmine tactae. Animus illi erectus, & liber. Vitae probitas, doctrinae splendor, atque ex multarum rerum tractatione collecta pruden-

Aet. A. XV. aut XVI.

Idib. Sextil. A. Ch. CIO. IC. IIX. Aet. XXI.

Habitu Religionis Salmanticae indutus à Franc. LaParra Priore IIX. k. Decemb. Aet. A. ~~XXXII~~. Ch. CIO. IO. XVI. annoq. probationis exacto, votis adstrictus D. Cather. sacr. die, coram Pet. Cantelpino pro Priore.

## Panegyricus

ria, multum apud populum commendabant. Viri principes, ceu alterum Augustinum suspiciebant. Carolus V. Caesar, Hispaniae Rex Catholicus in oratorem allexit, miratus in viro Euangelicam libertatem. Accidit, cum, oblatâ, an quaesitâ occasione, in venales pretio praefecturas inuehere vellet, reduci cortinam Caesarem rogat (sub qua de more audire erat solitus) vt coram, faedum facinus increparet; vir egregie pius, integrèque securus. Ne Granatēsi Ecclesiae praeficeretur, precibus impetrauit. In Valentina postea, Caroli calculo, successor Georgio Austrio designatur. Nihil non mouit Philippus Princeps, pro patre in Hispaniâ Vicarius, vt praeberet assensum. Urgebant Tauera Card. Velasus Equitum in Castella Magister, Cobius Camarasmae Marchio, caelo datum Pontificatum, non malis artibus, sed commendatione virtutum partum, bono pub. acciperet, pertinaci contentioni finem imponeret, Caesaris iram metueret. Vir demissae, & rarae sanctimoniae constanter negare, nihil in se nisi sordes, vilitatemque agnoscere. donec à sui ordinis Prouinciali praefecto, diris Ecclesiae perterritus, iugo colla lacrymabundus subiecit; exēplo, quod posteritas admiraretur, laudarent omnes, imitarentur pauci. Valentiam auspiciatò inter acclamantis populi gratulationes inuectus, \* omnium oculos, simul & animos impleuit. Numinis instar erat, quasi heros de caelo lapsus, maior conditione mortali. Lustratis illico cunctis vrbis, prouinciaeque Ecclesiis, mulâ vectus, socio monacho, omnia sigillatim cognouit. Indixit Synodum, vt populi mores, ob Pastorum absentiam syluescentes, corrigeret, pristinam Ecclesiae disciplinam, nouis legi-

vixit monachus annosXXIIX. Post professionem anno altero Prior Salmanticensis. electus aet. A. XXXI. res comparanda miraculo, ob magnā tunc probor. hominum multitudinem, aetate, doctrināq. grauiū. Postea inibi Priorem iterum egit, bis etiam Burgis, bis Prouincialis, Lusitaniae Visitator. Tandem Pintiae, è Priore ad Archiepiscopatū promotus, iubēte Ioh. Nieua Castellae Prouinciali. Aet. A. LVII.

\* kal. Ian. A. Ch. CIO. IO. XLIV.



legibus reuocaret. Viris in hanc rem Valentinis, ab exacta prudentiâ, & testatâ vitæ probitate commēdatis, familiariter vtebatur, ne caligaret vir nouus, ingenio gentis non satis noto. Iohan. Segrianum ciuem meum, quicum ex studior. & virtutum similitudine Pintiae vetus necessitudo intercesserat, magnifici; quem post varios honorum gradus importuna mors sustulit Panormi Praesulem. Nulla erat facies mali, quae non opprimeret urbem. peccandi consuetudo in morem trāsierat. Foeda, quod minime oportebat, sacrae ordinis licentia, cum sit grauissimus morbus, qui diffunditur à capite. numinum ira certissima. In magnam vitiorum phalangem irruere necesse fuit, non populi modo, sed primorum fauore armatam. Magnae molestiae deuoratae. Eluxit in tanta temporum labe THOMAE prudentia, caelesti proxima. arte quadam componere fluctus, sedare iras, ne alienatis ingeniis, pacem turbari contingeret. Erat animo fixum, volentibus imperare. Timor peruersus officij magister: neque enim vt corporibus, sic animis vis afferatur. vbi reuerentia abcessit animis, ne Principi quidem multitudo parcat ferox & rapida. Omnia prius tentabat, ne ad extrema descēdere cogeretur, celsi alioquin spiritus vir, vt exemplo docuit, ad posteritatem memorabili. Valentiae Praetorem vasto animo virum, diuitiis potentem, ac clientelis, iura Ecclesiae violantem, nec piis monitis parere volētem diris defixit. Vrbs sacrificiis interdicta, ob viri praefractum ingenium. sacrorum iustitium sex mēses tenuit, templis omnibus clausis, moesto silētio; licet Ferd. Aragonius Calabriae Dux, Regis Vicarius extrema omnia minitaret THOMAE, bona ipsius publicāda, Fisco Re

## Panegyricus

gio addicenda. Nihil his terretur excelsus animus. Quem tandem suam bonus pastor supplicem, ac in Virginis templo ad Aram Max. in poenitentis habitu, (viro Christiano, ac vere nobili dignum exemplum) publicè absolutam in caulam reduxit: caeterà lenis, ac mansuetus, & in misericordiam pronus, iurgia, litesque naturâ semper auersatus. sed tanti res erat. Clericos subditos ardentissimè complexus est. ita benè in illos animatus, vt criminationes vel eleuaret, occulueritvè. Delationum oblatis libelli, cognito quod in rem erat, igni traditi. In noxis illorum abluendis, sedulus & admirandus. exesto procul forensis strepitus, abeant tricae, dicebat: oues meae mihi, & ego illis. totus in eo erat, ne quis rescisceret. Quemquam pecuniâ puniri vetuit. tetri carceris ergastula submoueri iussit, indigna iudicans in quae Christi ministri truderentur. Clam, vitanda infamiâ, vocatos, obserato cubiculo, demulcere verbis, precibus flectere, lacrymis toto ore manantibus, vultu in Christi cruci affixi imaginem verso. Non pauci, verborû pondus, animi lenitatem admirantes, in genua procumbere, metu perfusi veniam precari, vitam instituere certi, personae, quâ gerebât, memores. Ob praefraçtos, in ipsorû praesentiâ, verbis verbera ad sanguinis effusionē adiungebat. Noctes ducebat insomnes, gemitibus aërem complens, vt ouem errantem reduceret, anathema factus pro filiis. Mirum, quantos pepererit Christo, à gehennae faucibus eripuerit. Nec priuatis contentus, publica bono Ecclesiae moliebatur. Concilij enim Trid. licet ob valetudinem absens, magna pars fuit. Missi ab eo libelli, prudētia, doctrinaque pleni, sententiarum pondere graues, facem Patribus praetulerunt,

runt, vt morum censurae serius incumberent. Quod caput est, magnus in illo solidae paupertatis amor, opumque fuga. Quo urbem ingressus est mense, donata à Canonicis quatuor aureorum millia, coëmēda domestica suppellectili, actutum ad Nosocomiū misit, mirantibus qui aderant cunctis. Maeste animo **T H O M A!** haec caeli certa, tuta semita est. Numerosi ab illo pauperum greges, infantes expositi, ad iustam aetatem datis nutricibus, alebantur. Quos durior egestas oppresserat, morbi affixerant, immitis fortuna iactauerat, virgines nubiles dote cassae, viduae solatio destitutae, ad **T H O M A M**, ceu ad salutis portum confluebant. tristis nullus, nullus indonatus abibat. Erga propinquos, durus, & illiberalis. Satis constat, quosdam sanguine coniunctos, verbis increpitos, donatosque frugi viatico in patriam redire iussos; pauperum Valentinorum vsibus destinatas opes dictitans: adeo, vt viginti aureorum millia reficiendā maenibus Ebuso insulā, Caesari ob aerarii tenuitatem petenti, negarit. decem iteratis precibus commodatō dedit, confectis tabulis, ex regiis vectigalibus postea fide integra reddituro. Generale urbis valetudinarium incendio deformatum, magnis molibus instaurandum curauit. identidem festinandā fabricā accedebat. Collegia duo aedificauit, Compluti, sui ordinis fratribus, vnum; alterum Valentiae, tenuis census iuuenibus, sacris litteris informandis, D. Mariae sacrum, succrescētibus indies virtutum, & ingeniorum foetibus grauidum, semper faecundum. Paternarum aedium adhuc adolescens haereditate auctus, eas in Nosocomium datis redditibus Villanouae conuertit. Totus in fouendis pauperibus, noctu, diu,

## Panegyricus

assiduus, accubus. dies omnes appensi, & numerati ad hanc curam. Longior sum. amoris hic semper error. Summa, praeter id quod modicae familiae sumptui necessarium erat, totum pie, & religiose donabat. Certo quin etiam constitit, subductis rationibus, prolatisque dati & expensi tabulis, duplo maiores redditus, tantis largitionibus nequaquam sufficere. Quam gratum superis visum, stupenda miracula produnt. Ad viduarum in annonae caritate, querulas voces, horreum, THOMAE precibus, frumenti fatiscit pondere, quod oculatus testis iurabat vacuum. In egenorum turba, quidam paralyti deformis à DIVO, è fenestra conspicatus, ad crucis signum, abiicit fulcra, gaudens profilit in pedes. Sic, post decursos vndecim in Pontificatu annos, menses octo, in morbum lethalem incidit. Lectulo affixus, omnia ad obolum distribui ardentem petit, ut verè pauper moreretur. Generali tandem peccatorum confessione, atque sacrae mensae epulo, ritu christiano, expiatus, à diuino numine, ardentissimâ oratione, veniam petens, inter suorum eiulatus, caelo semper victurus viuere desit. A. D. VI. Id. Sept. Deiparae natali sacr. A. Chr. c. io. io. Lv. aetat. Lxvii. Valentia dolore oppressa, tanto Pastore vidua. Vniuersam gētem insolitus moeror occupauit, virum amississe dolentes iis dotibus, iis virtutibus, ut exemplū desit. Templum D. Mariae Opitulantis Augustinianum sepulchro delegit. Sacratum ordo, Urbanus Senatus, pauperumque examina (ad octomillia dicunt) certatim funus honestarunt, vrbis solatium, salutis portum, patrem pauperum, patrem ingeminentes. Magnus vir THOMAS, elogium verissimum nactus, ex vero non posse laudari! Nō fastu superbus

perbus & tumens, nec externo habitu verendus, nisi quis noscet. Multi videbant, & requirebant. Vestis lacera & vilis. torus humilis, modiceque instratus. nudi parietes. Statura mediocris, omnibus membris aequalis & congruens. facies honesta. maiestas in vultu, incessuque par. aspectus gratus, color candidus, caesi oculi. perspicuum ingenium, iudicium graue, mores faciles. se aduentibus comes, & clemens. omnium virtutum choro nobilis. Castimoniam perpetuo coluit. diuinarum rerum meditationi semper vacans, in spirituum discretionem ad miraculum claruit. intimos cordium recessus rimabatur. Virginem-Matrem sibi patronam delegit, in eius festis diebus non parua beneficia recepisse fassus. In concionum libris, quas legimus multis ingenii luminibus illustres, sanctitatem vbique spirantes, ab originis noxa liberam propugnauit.

Societati Iesu recens institutae plurimum THOMAS, & auctoritatis & gratiae, suam auctoritate, eximiaque in eam beneuolentiam comparauit. Surgebat Valentiae feliciter noui templi constructio, trium ab eo aureorum millium stipe collata. Pristinam Ecclesiae consuetudinem de Sacramentorum frequentatione iamdiu exulantem, pro viribus instaurare conantes Socios, hocque oblatrantes non paucos expertos, quasi noua inducere molirentur, auctoritate iuuuit, obtrectatores doctrinam fregit, explicatis pro concione fructibus iterati Eucharistici cibi, rationibus ex intimam scripturam petitis. Ad populum verba faciens, non semel, caelesti dulcedine delibutus, interclusa voce, mentis patiebatur excessus. oculi tantum in lacrymas soluebantur. Mente a Deo mota incendium Templi D. Catherinae ante  
annos

THOMAM in  
 Societate Iesu fo-  
 ueda imitatus est  
 Segrianus meus,  
 Archiepiscopus  
 Panormitanus, ha-  
 rede bonorum ex-  
 tremis tabulis in-  
 stituto Collegio  
 D. Pauli Valen-  
 tino.

## Panegyricus

annos XXX, praedixit. Miracula multa, & magna viuum, mortuumque, honestarunt, clarioremque reddiderunt. Segriano Episcopo moestitia oppleto, ac optimi patris absentiam aegre ferenti, fulgore circumfusus, ac in augustiori quam pro humano habitu, vigilantibus apparuit, blande consolatum, de statu, quo, foelici fruebatur, fecit certiore. Ut quid me, inquit, lugens amice, ex vita aerumnis plena in faelicitatem, è tenebris in perpetuam lucem traductum? Ad eius preces daemones pulsi, restituti oculi, emaculati leprosi, muti, claudi, mortui, voci, incessui, vitaeque redditi. Breuè, Christianum orbem peruagatâ famâ, magno Riberae Patriarchae, eius ex aliquanto interuallo successori (heu! nuper nostro) postea, Bernardo Sandoualio Cardinali, Praefuli Toletano, aliisque per Hispaniam viris magnis, à Rom. Pont. demandatum, in THOMAE vitam inquirerent, miracula adstruerent, ne fucus fieret. Omnia cumulatè praestita, Romam delata. Tandem, PHILIPPI III. Regis Catholici, Valentino- rum, Augustiniani Ordinis, magnorumque virorum repetitis precibus flexus PAVLVS V. P. M. THOMAM, claris, testatisque meritis, in BEATORVM album retulit, anno praeterito cio. ioc. xlii. Dies festus Archiepiscopatus Valentino datus xlii. Kal. Octob. Valentini, auitâ pietate clari, atque praestantes, ad felix nuntium laetitiâ gestientes, exultabundi festos agitare dies. tubarum strepitu, nolarum clangore omnia personare.

Quantes audire praestat.

QVOD

QVOD FELIX, FAVSTVMQ.  
ERIT. B. THOMAS PAT. PAT.  
NOVVS PATRONVS ADESTO.

**S** Acratus ordo urbem supplicatione lustrato.  
DIVI caput, per plateas, vicosque præci-  
puos, circumductâ pompâ, cum vocû, instru-  
mentorumque concentu, locis singulis mirabili, è  
domo Virg. Auxiliatricis in Templum max. tri-  
umpho persimili specie, inferunto.

Opifices urbis, sublatis quisque vexillis, in suas tur-  
mas distributi, visendo ordine, vestium pretio, cul-  
tuque certantes præeunto.

Monachorum examina, colore varii, virtutibus simi-  
les, ex Augustiniano ord. heroes undecim Diuis  
adscriptos, fratri suo ob similem cooptatione gra-  
tulantes, intertextis auro vestibis, pretiosis lapil-  
lis, atque monilibus, quibus pretium raritas, &  
nobilitas facit, specie admirandis, oculos, & ani-  
mos ad se rapiantibus, quasi ludentis naturæ pul-  
chra colorû varietate, torquibus, & armillis auro  
grauibus collucentes, in quibus gemmae fulgu-  
rant, margaritae nitent, mutuo lenocinio diuites,  
in thensis circumducunt.

Duodecim clericorum agmina excellenti morû pro-  
bitate

ss. Clara de mon-  
te, Perpetua, Mo-  
nica, vterq. Iohan-  
nes Facundus, &  
Bonus, Nicolaus,  
v. Wilhelmus, Ful-  
gentius, Bonauen-  
tura, Eutropius,  
& Augustinus Pa-  
ter, qui vltimum,  
& illustriorem lo-  
cû THOMAE  
filio hoc die liben-  
ter concessit.

## Panegyricus

bitate, eruditionis laude praecipuâ, elatis crucibus accedunto, Deo concinentes hymnum.

Sacrata, ac numerosa Templi Max. cohors, plena maiestatis, ac numinis, visendi prae ceteris Theologi DD. Praepositi, atque Canonici, nobilitate, doctrinâque graues, clarissima vrbis sydera, ultimi sunt.

Cranij exuias sacras cryſtallo circumdatas, quâ visui pateant, ferculo, argēto, graui (opus praecellarum atque visendum, suaque mole nobile) viri sacri, gratulatione festâque laetitiâ succollanto.

E cera candida faces innumerae praeferuntor.

Christophorus Frigola Ecclesiae Decanus, sacrâ bycinam trabeam laqueis distinctam, illusam, rigentemque auro, acu floribus pictam induito. ministris sacris cinctus, vltimus post ferculum incedito.

Ant. Pimentelius Tâuaræ Marchio pro Rege nuper bono pub. constitutus, splendenti cultu, agmen vniuersum claudito, eius latera stipantibus vrbis Magistratibus VI. Viris togâ sericâ grauibus, atque verendis. Mox alij proceres, ciuitatis primores longo ordine.

Quacunque incedat pompa, parietes aulaeis obtenduntor, sericum distinguente auro, visendo ornatu, altaribus ex interuallo erectis, varijs signis, tabu-

Patres Iurati, Pertusa, Salafranca, Maior, Palaius, Cifrius, & Espar-sa.



tabulis, peristromatis auro, purpurâque fulgentibus, pavimento floribus strato, odorum vbi que suauitate.

Populus per statas vias cum filiis & coniugibus effusus, plausu, faustis que vocibus personanto.

Templum Maximū, Aedes Archiepiscopalis, Coenobium Virginis Opitulantis, THOMAE doctrinâ, habitatione, Mausoleo, nobilitata, multicolori bysso vestibus praetextis, caeruleos columbarum colli flosculos aemulantibus, aureis filamentis variè, ingenioso textili commento in diuersum deductis, obducuntor: affixis tabulis, signis, argutis elogijs, epigramm. varijs symbolis, ac hieroglyphicis, alijsque ingeniorum foetibus, THOMAE virtutes, & facta explicantibus, oratione, tum solutâ, tum lege carminis vincuntur.

Oratores mystici, ex Templorum ambonibus, THOMAE laudes, encomiaque populo pendulo instillant.

Musici arguto pleetro, manuque testudinem, chelynque pulsant; canorâ voce, honestis modulis aures mulcent.

Poetae Musarum deliciae, nobiliores Pentathli ad certam accedunt. THOMAS scopus esto. Collimant.

Feli

Panegyricus

Felicioꝛibus ingeniis annuli, gemmae, taeniae, va-  
sa argentea, aurea, alia, praemia sunt.

D. Baltha. Borgia  
Canon. & Archi-  
diacon. Setabita.  
Cardinalis lectis-  
simus frater.

Borgia, Frigola, Canonici; Villaraſſa, Segarti dñs, vi-  
ri nobiles, viri graues, iudices deliguntor.

Praensationes ablegantor.

Aguilarius Poëticae Mystes ſententiam pronun-  
ciato.

Templum vr̄bis Maximum, Mariae ſacr. Thea-  
trum eſto.

Tauri agitantor.

Agonistica inſtaurantor.

Ad Theatrorum imaginem, in platea vr̄bis princi-  
pe, ad Templum Max. podia gradibus excelsa,  
ſuperaedificatis ſuggeſtibus, vnde omnis ordo,  
aetasque deſpectent, eriguntor.

Equites ferro vndique proteſti, cyclade auro rigēte,  
cristis, colorum varietate, argutisque ſymbolis vi-  
ſendi, armorum fulgore, & aſpectus feritate gra-  
ues, atque terribiles, ad trucem tympanorum ſo-  
nitum, tibiaramque modulos, bellicum vigorem  
ſpirantes, gradu ſuperbè composito, praelucente  
numeroſa ſacum multitudine, fugandis tenebris,  
ad Theatrum, arenamque accedunt. Gladio-  
rum, contorumque validis repetitis icſtibus, ex le-  
gis praescripto, certamen ludicrum ineunt.

In peramplo ſuggeſtu, per iſtromatis, aulaeisque ad  
loci

Post elogium cō-  
fectum, Parer-  
gon addere pla-  
cuit ( propter  
rei nobilitatē )  
de Militari lu-  
do, ob imbrium  
frequentia, pau-  
cis poſt diebus  
inſtituto.

loci dignitatem obducto, Prorege spectatore, sex  
ex equestri ordine viri, socio ob maiorem gratiã  
Aytonae Marchione, auitã nobilitate, spectatã  
prudentiã Magno, iudices integri constituuntur.  
Nullis precibus, non ambitu corrupti, cunctis  
ius suum reddunt.

Indices pro eques-  
stri ordine (quem  
Estamentum Mi-  
litare vocant) Ro-  
ca, Artesius, alter  
Roca, Monforius,  
Pallasius, Sã-ger-  
manus, medio in-  
ter hos assidente  
Moncadã Itonae  
Marchione.

Pyrotechnici, sulphure suffartas Theatrales machi-  
nas, post bombos, atque fragores, in cineres redi-  
gunt.

Palatium Illustrissimi, & Reuerendissimi nostri  
Archiepiscopi pharis papyraceis coronatum, ce-  
reis faculis vnde quaque circumdatum, vt conflag-  
rari totum videatur, tantae rei laetitiam osten-  
dito: pilulis puluere tormentario compactis, ingen-  
ti matronixu, tonitruque disruptis visceribus  
partũ diffudentibus, in sublime, eluctante flam-  
mã eiaculatis in modum fulminis, numero vix  
fidem facturo.

Templi Maximi portae, festã frõde, innexis arte,  
inflexisq; citreis ramalibus opere topiario, ex-  
ornantur, grata oculis viridantium foliorum a-  
maenitate.

Vici, plateae, turrets, Templorum culmina, sero-  
tinis ignibus illustrantur. Nox eliminator.

Luctus procul exesto. omnes laetitia perfunduntur.  
voce, manibus, totoq; corporis habitu plaudunt.

Benè

Bene habet. sic factum. Omne genus, ordo, aetas, conditio, THOMAM petere, exuias osculari, vota persolvere. Nobilibus ingeniis via patefacta est, & campus, vbi eruditionem iactent, doctrinam ostentent. Pro se quisque symbolum offerunt. Molâ falsâ & frugibus litant, qui non possunt auro. Offero, quod à properante calamo, non ambitio, sola in Thomam meum pietas, afflicta fortè his diebus valetudine, calore deuotionis elicuit. cultus & affectus tesseram mitto. Tibique, ò DIVE, meque meaqué. aeternum dico, aeternum quaeso apud Deum precibus iuua. O fiat! Sed ad Moecenatem meum tatisper flexo sermone: TVO quidè, Card. Ampl. augusto nomini, hoc, quidquid ingenii, ac stili est, dicatum imus. tenue quidem, exileque: fateor. sed magnumnè erit, tanto viro inscriptum? Vitrum in Principis annulo reuinctum pro gemma accipiatur, pro vero pseudopyropus. Maior fulgor proxima quaeque illustrat, etiam minuta. Simul, obseruantiae in TE nostrae, & sinceri amoris à primis annis, cum philosophica tractaremus, suscepti, monimentum iterum extabit, aliarum specimen lucubrationum, pares modò votis vires contingant. Haeret memoria TVI, eamque immensum auget sermo, quem de modestiâ, sapientiae studiis, sanctissimis moribus, aliisque animi, & corporis dotibus, à secum certante naturâ, certè ab altiori vi, benignâ manu TIBI concessis, V. Nob. D. Lud. Blascus, clarus municeps noster, magnus TVAR. virtutum admirator, & praeco, aliique in patriâ identidem institui mus. Quae à nobis in eam sententiam dicuntur, referre, pudor prohibet. Non excurram ad laudes. facere, non audire, magna, BORGIANI sanguinis est,

est. Certè, Mag. Praesulis effigiem, cui aequiùs, quã  
iisdem vestigiis insistenti adscriberè? Deũ precor,  
tantis meritis perpetuatè addat, FRANCISCI  
tui (ô notum in orbe nomen!) THOMAE QV E  
nostri, ex vero, vt facis, imagines exprimas, quas  
aequaeni suspiciant, posteri (sic auguror) cele-  
brabunt. O non vulgaris, non inanis vates sim! An-  
nue MAGNE DEVS. Cum voto finio

Mich. Ioh. Bodinus

*Affectu, cultuque*

T V V S.

*Fontinenti Contestanorum*

*IV. Id. Mai. A. CIO. IXC. XIX.*

MICHAELIS ANTOLINI  
PRESBYTERI.



**S**ors dedit alta Caput Thomae, Templo; omnia laeta  
Auxiliaturum pauperibus locuples.

Borgia, clara domus, titulis redimita supremis,


Bis caput orbis adest, ter caput orbis erit.

Istorum pulchrè descripsit marmore laudes

Bodinus: capiat praemia certa polo.



BEATVS THOMAS, FVMOSAS  
imagines aspernatus, S. P. Augustini  
Insigne sumpsit.



AB INFANTIA MEA CREVIT  
mecum miseratio.

BEATVS THOMAS FVMOSAS

imagines operantes, S. P. Augustini

longius imples



AB INFANTIA MEA CREVIT

meum ministerio
























WILLIAM H. WALKER  
STATIONER  
1610 N. W. 10TH ST.  
MIAMI, FLA.